

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ANGINA INFLAMMATORIA:
QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

Ex auctoritate reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAEFECTI,

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID ORME, SCOTUS, A. et R.

Ad diem 29 Junii, hora locoque solitis.

*Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam salutem hominibus
dando.*

Cic.

EDINBURGI,
Apud T. et W. RUDDIMANNOS. M.DCC.XLIX.

NOBILI ET ILLUSTRIS JUVENI, MORIBUS
ET INGENIO SPECTABILI,

D A V I D I,

Vicecomiti de STORMONT,

Baroni de Balvaird, Cockpool et Lochmaben,
Patrono suo maximopere colendo :

NEC NON

VIRO CLARO, ET IN ARTE SUA CUM PRI-
MIS PERITO

JOANNI MIDDLETON,

Medicinae apud Bristolienfes Doctori,

Confanguineo suo,

Summo cum honore prosequendo ;

*Has studiorum suorum primitias, quaecun-
que existimationis suae, perpetuaeque ob-
servantiae monumentum,*

D. D. C. Q.

DAVID ORME.

DISSERTATIO MEDICA

DE

ANGINA INFLAMMATORIA.

QUANTA sit artis medicae nobilitas dignitasque, adeo inter omnes convenit, ut nullo elogio indigeat. Quicumque enim vitae humanae leges, corporis nostri fragilitatem, et innumerorum, quibus quotidie circumdatur, morborum causas expendit; facile agnoscat utilitatem artis illius, quae periclitantibus hominibus salutem promittit: olim certe qui in hac arte excelluerunt, ob collata in homines beneficia, saepenumero Deorum coetui adscripti sunt.

Quum autem medicinae praxis periculo plena sit, ne ab hominibus imperitis et indoctis exerceatur, legibus hujus Academiae sancitum sit, ut, qui doctoratus gradum ambit, semet Professorum examini subjiciat, et specimen quoddam suae diligentiae proferat, antequam ad Medici privilegia, et honorem evehatur; haec dissertatio potius ab obsequio in Professores meos, quam ex pruritu scribendi, nata est; quum satis superque conscius sim, quam curta sit mihi supellex, et quod nihil novi de ANGINA (quem morbum hujus dissertationis argumentum mihi proposui,) dicendum habeam, quod ex aliis auctoribus non hauserim.

MORBUS hicce Latinis dicitur Angina, ab ἀγγελω angere, quia eo laborantes valide anguntur, et sensu quodam suffocationis saepenumero afficiuntur. Apud Graecos tamen major in-

B

venitur

venitur nominis diversitas, scil. *κυνάσχη*, *λυνάσχη*, et *συνάσχη*, quia aegri Angina laborantes saepe anhelant, linguamque exerunt instarc anis, aut lupi longo cursu defatigati: *συνάσχη* vero vario sensu usurpatur, Celsus enim †, cum recenset nomina, quae variis Anginae speciebus a Graecis tribuuntur, ait *συνάσχη* vocari, cum neque rubor, neque tumor ullus, sed corpus aridum apparet. At Aëtius *συνάσχη* dixit illam anginae speciem, quae a luxata colli vertebra fit. Aliis autem authoribus *συνάσχη* pro qualibet Angina, cum tumore externo aut interno apparente, habetur.

ANGINA Veteribus plerumque dicebatur inflammatio gutturis aut faucium. Sic statuit Galenus ‡, quod sit *φλεγμῶνι τῶν κατὰ φάρυγγα μερῶν*. Hipp. * tamen videretur faucium inflammationem ab Angina distinguere, cum in Epid. ait, “ Quibusdam vero faucium inflammationes aderant, aliis vero Anginae.”

CLARISSIMUS Boerhaavius, qui nil fere molitur inepte, omnium primus accuratam tradidit hujus morbi definitionem **, quod scil. “ Impedita valde, dolens admodum, vel et impedita et dolens simul deglutitio, atque respiratio, quae contingit a causa morbofa, agente in partes binis his functionibus inservientes, supra pulmones, et supra stomachum positas, Angina vocatur.” Atque sic apte distinguitur ab aliis morbis, qui deglutitionem atque respirationem plerumque laedunt.

APTE

† lib. iv. cap. iv. p. 196.

‡ lib. de ratione victus in acutis, text. 20.

* lib. vi. § vii.

** Aph. 783.

APTE fatis apud Antiquos distingui solet Angina in veram et notham. Per Anginam veram, intelligebant obstructionem sanguinis rubri in vasis minimis; per notham, tumorem a congestione pituitae, feri, vel humoris cujusdam visceri sine febre comitante.

AB Hipp. † dividitur Angina in duas species, ita ut in prima nullus appareat tumor, licet respiratio adeo difficilis et laboriosa sit, ut non nisi erecta cervice et aperto ore exerceri possit. Altera vero species fit cum tumore in aliqua parte circa fauces conspicuo; et sicut haec divisio retineri meretur, facile cuivis rem expendenti patebit, quanto magis periculosa sit prior, quam posterior, morbi species. Illa quidem vel ab inflammatione interioris laryngis aut asperae arteriae, vel a musculorum spasmo, aut paralyssi pendet. Haec vero variis nominibus insigniri poterit, pro ratione materiae in tumore contentae, ita ut sit Angina OEDEMATOSA, INFLAMMATORIA, SUPPURATORIA, SCHIRRHOSA, vel GANGRAENOSA.

QUUM autem solam Anginam inflammatoriam hic tractare proponam, ante omnia observari expedit, quod hujus causa proxima semper sit tanta sanguinis accumulatio in arteriis minimis, ut dolorem, tumorem, ruborem, febrem, et alia consueta inflammationis signa producat, cum laesione partis sic affectae.

VASORUM autem obstructio et liquidi accumulatio fit, vel sanguinis, vel vasorum vitio; sanguinis, quoties is vel quantitate, vel qualitate peccat: si enim tanta ejus adfuerit copia, ut vasa quaedam

† lib. 3. de morb. epid. § x.

dam nimis extendat, vicina comprimit; und ea Senerto, et aliis observatum, quod juvenes huic morbo magis opportuni, quam senes, sint. Si autem nimis crassus aut viscosus fuerit, moleculae adactae in vasorum angustias transire non poterunt sine obstructione.

VASORUM vitio producetur obstructio, ab omni causa, quae arctiora et angustiora redduntur, quae multiplex esse poterit, e. g. contractio nimia fibrarum, aut vis externa. Denique ab errore loci idem effectus producetur, quando globi sanguinis in dilatata orificia vasorum lateralium, serosorum, aut lymphaticorum pelluntur, et in conniventibus angustias haerent.

LICET inflammationis causae remotae pene innumerae recenserentur possint, juvat tamen eas tantum enarrare, quae morbum hunc in faucibus praecipue excitant. Tales sunt, Acrium (scil. cibi, potus, medicamenti, aut veneni) ingestio et applicatio laryngi, pharyngi, oesophago superiori, aut asperae arteriae, quae fibras irritant, et vasa contrahunt, ita ut consuetos humores transmittere nequeant. Huc etiam referri potest frigoris actio in easdem partes, quum canales simul constringat et humores coagulet, atque sic duplice ratione pessimas obstructiones inducat: unde fit, ut hiberna et gelida tempestate Angina frequentior occurrat, quam aëre magis temperato, praecipue si quis tunc valida corporis exercitatione utatur, aut equitatione veloci, vento frigido adversante; namque in accelerata tunc respiratione partes circa fauces, aëre frigido attracto toties percussae, cito inflammantur.

OMNIUM vero maxime, nimia exercitatio harum partium Anginam excitare solet, ut, cantus, clamor, tubarum inflatus; atque sic non modo magna vis hisce partibus infertur, sed et diffusa humiditate, arefcere et rigescere eae incipiunt, unde crispatis vasis oritur inflammatio.

QUINIMO Anginae causa quandoque epidemica est, pendens ex quadam aëris constitutione morbosa, nobis non explicanda, quae partes circa fauces magis, quam alias, afficit.

DENIQUE Angina quandoque producitur ab ossiculis, spinis, aliisve id genus corporibus duris, incaute in asperam arteriam attractis, aut in oesophagum depulsis, quae impacta istis partibus sua duritie aut asperitate inflamment.

SIC inflammatio circa fauces orta, varios admodum effectus variaque symptomata producere debet; ita ut respirationem vel deglutionem, vel utramque laedat, pro ratione partis quam occupat. Atque ille solus idoneus erit qui sedem mali ex diversitate symptomatum distinguat, cui perspecta et nota est intricata harum partium fabrica anatomica. Jam vero

PRIMO, Si partem laryngis superiorem morbus affecerit, ita ut sedem habeat, vel in membrana tensa, et nervosa, cartilagineis ary³noideis investiente, vel in musculis, et fibris, rimae glottidis claudendae dicatis; fiet Angina, sine tumore, omnium funestissima, et citissime strangulans. Ea autem hisce signis dignosci poterit, (scil.) febre acuta, pungente partis dolore, inspiratione aucta, voce acuta, stridula, oris hiatu, suffocationis sensu, et

arytanoidear

summa pectoris anxietate, inflatione venarum omnium circa collum et oris interiora, oculorum rubedine, et laesa cerebri functione: quae omnia pendent ex rimae glottidis coarctatione, et difficiliore aëris ingressu in pulmones, unde hujus inflatus et motus prohibetur, et sanguinis transitus per hoc viscus, adeo vitae necessarius, intercipitur. Huic itaque Anginae brevi supervenit peripneumonia lethalis; et, nato in pulmonibus obstaculo, ventriculus dexter, auricula dextra, et vena cava ita accumulato sanguine turgent, ut venae jugulares sanguinem a capite referentes, quum se jam exonerare nequeant, congesto tumore intumescant.

SECUNDO, Si inflammatio paulo inferius sedem habuerit, non tam in larynge, quam in interiore membrana asperae arteriae, tunc respiratio laboriosa quoque erit et sibilans, atque reliqua, sicut in priori casu, evenient symptomata, non tamen adeo acuta ac funesta. In eo, enim deglutitio aliquatenus laedi poterit, quae vix in hoc afficitur; nullusque porro aderit tumor, sed dolor forte compressu externo augebitur.

TERTIO, Si muscoli elevationi laryngis aut ossis hyoidis infervientes inflammentur, rubor et tumor in faucibus observatur; respiratio satis libera manet, sed in primo deglutitionis actu sentitur dolor acutissimus, convulsiones quandoque excitans.

QUARTO, Quando autem inflammatio pharyngem invadit, deglutitionem, non respirationem laedit; licet aliqua varietas hic etiam evenire possit, prout altius, aut profundius in stomacho sedem suam habuerit. Si enim pharyngis orificium cum
mus-

musculis ei aperiundo fervientibus inflammetur, inspectio faucium morbum rubore et tumore detegit; et, dum in re qualibet deglutienda aeger dilatationem laryngis molitur, saevissimus excitatur dolor, atque materies detrudenda, (praecipue si liquida, uti plerumque, fuerit,) quum clausum tubum subire nequeat, vel per nares rejicitur motu partium convulsivo, vel forte in asperam arteriam delabitur, et violentissimam tussim excitat.

QUINTO, Si inflammatio solum muscolum oesophagaeum, et membranam hujus tubi afficiat, neququam signis externis se prodat, sed deglutionem fere, sicut in priori casu, male impedit; et quoniam juxta vertebrae dorsi descendit oesophagus, dolor etiam in hisce percipitur, ut Galenus olim observavit †.

SEXTO, Angina vero omnium frequentissima ea est, quae tonsillas, uvulam, et velum pendulum palati inflammat, et quae faucium inspectione oculis statim patet, harum sciz. partium rubore, et tumore, quae, cum in actu deglutionis vario modo explicari et moveri debeant, inflammatione jam rigidae, et pene immobiles factae, sic mutari nequeunt sine acerbissimo dolore. Partes hae quoque eo usque aliquando intumescunt, ut epiglottidem deprimendo, rimam asperae arteriae ocludant, et fere aegrum, impedito aëris ingressu, suffocent; et quoniam, praecipue in amygdalis, plurimae cryptae, et lacunae glandulosae observantur, hae majore liquidi copia jam perfusae, copiosum et tenacissimum mucum perpetuo eructant, quem aeger saepe freatu dolentissimo excutere nititur, ne, nimia copia accumulata,

† Lib. v. de loc. aff.

lata, laryngem obruat, et respirationem inhibeat : quum porro tuba Eustachiana, ex faucibus in aurem internam tendens, cum partibus his inflammatis nexum habeat, non mirum, si per hujus decursum propagetur saepe inflammatio, adeo ut aegri, hac Anginae specie laborantes, plerumque de dolore in aure conquerrantur.

LICET varias haec Anginae inflammatoriae species singulares et distinctas hic recensuerim, saepenumero tamen, imo plerumque contingit, ut in eodem aegro conjunctae et combinatae diversimode inveniuntur, adeo ut in diversis magna symptomatum diversitas contingat, atque saepe deglutitio simul et respiratio laedatur.

EXCUSIS sic variis Anginae inflammatoriae effectibus et distinctionibus, clarior evadit prognosis, quae plerumque infesta periculi aliquid denunciat, quum morbus hic vel respirationem, a qua vita immediate pendet, laedat, vel deglutitionem, cujus ope nova ingeruntur alimenta, a quibus perpetuum corporis dispendium reparatur, impediat.

IN genere, quo acutior febris, et quo acerbior dolor, eo periculosior morbus, praecipue si respiratio multum laesa fuerit, cum summa anxietate et pectoris angustia, adeoque prima morbi species plerumque exitialis, et quidem cito, evadit : ni enim statim resolvatur inflammatio, suffocabitur aeger, antequam morbus vel multum adolescere possit, vel in suppurationem verti.

NEQUE quidquam boni in secunda specie, nisi a benigna et cita resolutione, praesagiri potest. Major autem in reliquis morbi speciebus elucescit sanationis spes.

SI Pharynx tantum inflammetur, et libere adhuc respirare possit aeger, haec species minus periculosa est; nam licet prohibeatur deglutitio, aeger tamen diutius sine alimentis vivere potest, ut olim observavit Hipp. † aut injectis clysmatibus aliquamdiu sustineri et nutrirī, donec vel resolvatur inflammatio, vel suppuratione et abscessus ruptura, partes prius turgidae detumescant.

SPEs quoque major Angina laboranti promittitur, si tumor in collo externo appareat, ut notat Hipp. * qui et rationem addit, quia foras tunc vertitur morbus.

SI autem tumor, sive externus, sive in ore interno, subito dispareat, nec tamen minuantur, sed potius augeantur reliqua morbi symptomata, tunc materia morbifica per metastasin ad alias et interiores partes corporis transit; unde cerebrum petens phrenitidem producit, vel in pulmone haerens, peripneumoniam facit, testante eodem Hippocrate †.

HAEMORRHAGIA narium, vel alvi fluxus Anginae superveniens, et levamen adferens, apud omnes autores pro signo bono habetur.

D

SI

† lib. iv. epidem. 7.

* Aph. 27. § 6.

† Aph. 10. § 5.

SI inflammatio in apostema tendat, tunc, ut observat Forestus †, magis anceps erit morbi eventus.

SI oriatur Angina, per metastasin ex alio morbo inflammatorio, summum denunciat periculum, quia aeger priore morbo debilitatus, novi hujus vim aegre sustinere poterit.

HISCE positis, ad medendi methodum progredior.

MORBUS hicce, quum ab inflammatione pendeat, consuetum inflammationis iter decurrere debet, et terminari resolutione, suppuratione, scirrho, aut gangraena, quarum omnium mutationum exempla apud auctores prostant: sed quoniam morbum in statu inflammatorio solummodo hic tractandum suscipi, de iis tantum remediis, quibus resolvi poterit, pauca adijciam.

RESOLUTIO est quidem perfectissimus sanandi modus, quoniam vasa obstructa recludit, et tumida componit, sine ulteriore noxa parti illata. In omni ergo morbo inflammatorio, saluberrima haec mutatio summopere exoptanda est, sed in nulla magis, quam in Angina, quae partibus respirationi et vitae adeo necessariis officit, ut nec moram nec inducias praebeat, quibus aliam medendi methodum instituamus. Ea autem ut recte promoveatur, hae praecipuae nasci videntur indicationes, scilicet.

1mo. SANGUINIS copiam et impetum in parte affecta minuire.

2do. MORBI vim in alias partes revellere.

3tio.

† lib. xxv. observ. xxiv.

3tio. EJUS lentorem et visciditatem attenuare, diluere.

PRIMAE indicationi prae alio quovis remedio respondet sanguinis missio, si modo satis copiosa fuerit; et si urgent symptomata, ad animi deliquium usque instituat: in hoc enim auxilio veteres medici praecipuam et unicum fere salutis spem collocarunt. Sic praescribit artis Pater †, “Angina affectis, a sanguine in venis colli collecto et coagulato, sanguinem ex venis brachiorum et pedum detrahes, et simul alvum inferne subduces, quo, quod morbum exhibet, detrahatur.” Nonnulli quidem medici posteriores, venarum sublingualium sectionem suadent, alii autem venarum jugularium; dum interim multi, nec inferioris notae, credunt parum referre, e qua corporis vena detrahatur sanguis, dummodo debita copia et velocitate effluerit, ut vasa, prius distenta, citissime depleantur, et ab iis ad venam apertam subducatur sanguinis impetus.

IN eundem scopum, post sanguinem missum, expediet remedium purgans propinare, ex consilio Hippocratis et Celsi; inde enim, tum sanguinis velocitas, tum quantitas minuitur, superstitis humoris crasis attenuatur, et vis sanguinis a parte affecta versus inferiora subducitur. Cathartica hac occasione eligenda talia esse debent, et sic praeparata, ut ab aegro facillime assumi possint; aut si prohibeatur deglutitio, ut saepissime in hoc morbo accidit, tunc purgantia, forma clysmatis, injici debent.

SECUNDAE indicationi satisfaciendae prospiciunt remedia eadem, tum cucurbitae et epispastica collo, humeris et dorso applica-

† lib. de loc. in hom. § 1.

applicata. Sinapismi quoque inferioribus corporis partibus adhibiti, atque balnea tepida, et tandem cataplasmata, et fomenta emollientia extrinsecus applicata.

UT denique corrigatur sanguinis lentor, quo immobilis redditur, et aptus qui in vasorum angustiis haereat, requiritur imprimis, ut aquosis diluatur, deinde ut particulae cohaerentes solvantur remediis attenuantibus, v. c. nitro, tartaro regenerato, et imprimis spiritu Mindereri.

MULTUM etiam profunt remedia topica, praecipue gargarismata, quae varia, pro re nata, fieri poterunt, scil. emollientia, detergentia, attenuantia, vel leniter adstringentia, si nimia vasorum relaxatio talia indicat. Proderit etiam, si aeger vaporem, ex calido herbarum decocto exhalantem, per infundibulum faucibus excipiat.

SI autem morbus vehemens admodum fuerit, multumque laedatur respiratio, antequam ista omnia peragi possint, metus erit ne suffocetur aeger, quod ne accidat, veteres medici operationem scil. laryngotomiam, vel bronchotomiam excogitarunt; qua, facta incisione inter annulos asperae arteriae, fit apertura, cujus ope, aër in pulmones attrahi potest, faucibus non salutaris, donec resolvatur aut suppuretur pars inflammata, dum aeger interim clysmatibus quotidie injectis sustinetur et nutritur.

SIT denique cibus et potus (si quos consumere possit aeger) molles, leves, tenues et refrigerantes; sit aër temperatus, alvus laxa seruetur, et absint corporis motus, atque animi pathemata.